

HISTORIA DE DANIEL REPRESENTANDA

In cuius prima parte he persone sunt necessarie:

Rex unus sub persona Baltasar
Regina
Daniel
Quattuor milites
Quattuor seniores.

In secunda uero parte:

Rex unus sub persona Darii
idem Daniel
Milites et seniores qui et in prima
Angelus unus in lacu leonum
Abacub
Angelus alius qui deferat Abacub ad lacum
Angelus tercius qui cantet 'Nuncium uobis fero'.

LUDUS DANIELIS

Prologo in cui, dichiarata la paternità del testo, all'ingresso di Baldassarre e dei suoi principi si riassume la vicenda di Daniele.

Ad honorem tui Christi
Danielis ludus iste
In Belvaco est inventus
Et invenit hunc iuventus

Dum venerit rex Balthasar, principes sui cantabunt ante eum hanc prosam:

Astra tenenti cunctipotenti
Turba virilis et puerilis Contio plaudit
Nam Danielelem multa fidelem
Et subiisse atque tulisse Firmiter audit
Convocat ad se rex sapientes
Gramata dextrae qui sibi dicant Eucleantes
Quae quia scribae non potuere
Solvere regi ilico muti Conticuere
Sed Danieli scripta legenti
Mox patuere quae prius illis Clausa fuere
Quem quiavidit prevaluisse
Balthasar illis fertur in aula Praeposuisse
Causa reperta non satis apta
Destinat illum ore leonum Dilacerandum
Sed Deus illos ante malignos
In Danielelem tunc voluisti Esse benignos
Huic quoque panis ne sit inanis
Mittitur a te praepete vate Prandia dante

PARTE PRIMA

Balthasar siede in trono e la corte lo omaggia.

Imprimis cum uenerit Baltasar cum pompa sua sederitque in trono suo, cantabunt milites coram eo hanc prosam:

IORDANVS Resonent unanimes cum plausu populari
et decantent principia potentiam preclari,
cuius sceptrum maxime debemus uenerari,
nam late diffunditur in terris et in mari,
cuius pater potuit de hoste gloriari,
uasa de dominico diripiens altari,
qui percussit gladio Ierusalem letali
et abduxit miseros cum pompa triumphali,
teque summum principem et filium uictoris,
quem non esse credimus potentie minoris,
cuius dat intuitus iudicium tremoris.
collaudandus citaris et uocibus sonoris,
qui sequens in omnibus exempla genitoris
subiugat rebellia dominio uigoris.

Balthasar chiede i vasi portati via dal tempio di Gerusalemme

Quo finito dicet rex ad milites suos:

Adsint ad opus prandii
<iam> uasa sanctuarii,
que pater <meus> habuit,
Ierusalem cum diruit.

Et rex aperiet os suum dicens:

Vos qui paretis meis uocibus
Afferte uasa meis usibus
Quae templo pater meus abstulit
Judaeam graviter cum perculit

Tunc milites uasa afferentes taliter cantabunt:

lubilemus hodie
maiestati regie,
vim cuius potentie
tremunt gentes uarie.

hic est, cuius potentia
domat que sunt rebellia·
hic est, cuius potentiam
tremunt qui colunt Asiam.

Vt sit in memoria
paterna uictoria,
uideas presentia
Iherusalem spolia.

hic est [...]

Hostis per te domitus
et orbis perterritus,
sicut patri primitus,
sic est tibi subditus'

hic est [...]

Tu patri simillimus
et rex regum maximus,
heres strenuissimus,
deus es ut credimus·

hic est [...]

Satrapae uasa deferentes cantabunt hanc prosam ad laudem regis:

Jubilemus regi nostro magno ac potenti
Resonemus laude digna voce competenti
Resonet jocunda turba solemnibus odibus
Cytharizent plaudant manus mille sonent modis
Pater ejus destruens Iudaeorum templa
Magna fecit et hic regnat ejus per exempla
Pater ejus spoliavit regnum Iudaeorum
Hic exaltat sua festa decore vasorum
Haec sunt uasa regia quibus spoliatur
Iherusalem et regalis Babylon dicitur
Praesentemus Balthasar ista regi nostro
Qui sic suos perornavit purpura et ostro
Iste potens iste fortis iste gloriosus
Iste probus curialis decens et formosus
Jubilemus regi tanto uocibus canoris
Resonemus omnes una laudibus sonoris
Ridens plaudit Babylon Iherusalem plorat
Haec orbitur haec triumphans Balthasar adorat
Omnes ergo exultemus tantae potestati
Offerentes regis uasa suae maiestati

Tunc principes dicant:

Ecce sunt ante faciem tuam

Una mano scrive sul muro. Balthasar chiama gli indovini.

*Postea apparebit quedam dextera super caput regis scribens: MANE
TECHEL PHARES. Quo uiso rex conturbatus dicit ad milites suos:*

Querite quantocius
regni magos istius,
qui sciant dissoluere
quis sit sensus littere.

*Interim apparebit dextera in conspectu regis scribens in pariete MANE THECHEL
PHARES. Quam uidens rex stupefactus clamabit:*

Vocate mathematicos
Caldaeos et ariolos
Auruspices inquirete
Et magos introducite

Giunti gli indovini Balthasar chiede spiegazioni.

Tunc uenient quatuor, ad quos rex dicit:

HUGO Sapientes Babilonis,
sensum mee uisionis,
Sapientes enim estis,
enarrate si potestis
et quid dicat littera.
Quedam manus quam uidebam,
quid scribebat nesciebam·
Videbatur se mouere,
nec licebat plus uidere,
manus quidem dextera,
Scribens manus se mouebat,
sed ignoro quid scribebat·
Vos scripturam si legatis
et quid dicat exponatis,
multa dabo munera.

Tunc adducentur magi qui dicent regi:

Rex in aeternum uive,
Adsumus ecce tibi

Et rex:

Qui scripturam hanc legerit
Et sensum aperuerit
Sub illius potentia
Subdetur Babylonia
Et insignitus purpura
Torque fruetur aurea

Gli indovino confessano di non capire.

*Quattuor autem seniores secedent in partem et paulo post reuertentes
regi dicent:*

Nec scripturam dextere
neque sensum littere
scimus tibi soluere.

Illi uero nescientes persolvere dicent regi:

Nescimus persolvere nec dare consilium
Quae sit superscriptio nec manus indicium

Tunc rex publice dicit:

Cognoscat ergo regio,
quod meo fit imperio:

[fol. 13v]

torquē dictatus aureo,
uestimento purpureo
mecum sit regno tercius,
qui declarabit certius.

Avvicinandosi la regina se ne cantano le lodi.

Regina ueniens ad consulendum regem, IIII^{or} milites ante eam sic cantabunt:

HILARIUS O coniunx, aue, regia,
super omnes egregia,
summa cuius prudentia
nouit quae sunt latentia.
Mulierum omnium es gloria,
ergo ueni regis ad palatia,
Vt in nostri principis presentia
tua mira nota sit scientia.
Veni cito,
ut marito prebeas consilia.
o mulierum omnium
sola non habens uitium,
et ad cuius eloquium
mens stupet sapientium.
In te dignum regis est consortium,
permirandum etenim ingenium,
Sola regis illius imperium,
ergo regem consolare dubium.
Veni cito,
ut marito prebeas consilium.

Conductus reginae uenientis ad regem:

Cum doctorum et magorum omnis adsit contio
Secum uoluit neque soluit quae sit manus visio
Ecce prudens styrpe cluens dives cum potentia
In uestitu deaurato coniunx adest regia
Haec latentem promittit vatem per cuius indicium
Rex describi suum ibi noverit exitium
Laetis ergo haec uirago comitetur plausibus
Cordis orisque sonoris personetur uocibus

La regina consiglia il re di rivolgersi a Daniele.

Quae astans regi dicet:

Ne turberis, Baltasar, propter uisum subitum,
adest enim Daniel, cui nil est incognitum.
In hoc ut cognouimus est deorum spiritus,
Multa namque uidimus, quae praedixit primitus.
Vt queratur Daniel igitur, rex impera,
per quem tam difficilis exponatur littera.

Tunc regina ueniens adorabit regem dicens:

Rex in aeternum uive!
Ut scribentis noscas ingenium
Rex Balthasar audi consilium

Rex audiens haec, uersus reginam uertet faciem suam, et regina dicat:

Cum Iudaeae captiuis populis
Prophetiae doctum oraculis
Danielem a sua patria
Captiua patris uictoria
Hic sub tuo uivens imperio
Ut mandetur requirit ratio
Ergo manda ne sit dilatio
Nam docebit quod celat visio

Il re fa cercare Daniele.

Tunc rex ad milites suos:

Inquiratis igitur Danielem, famuli,
Eius ut consilio michi possit consuli.

Tunc dicat rex principibus suis:

Vos Danielem quaerite
et inuentum adducite

I cortigiani incontrano Daniele e gli chiedono di aiutare il re...

Tunc principes inuento Daniele dicant ei:

Vir propheta Dei Daniel uien al roi
Veni desiderat parler a toi
Pavet et turbatur Daniel uien al roi
Vellet quod nos latet savoir par toi
Te ditabit donis Daniel uien al roi
Si scripta poterit savoir par toi

Et Daniel eis:

Multum miror cuius consilio
Me requirat regalis iussio
Ibo tamen et erit cognitum
Per me gratis quod est absconditum

...e lo portano a corte.

Milites adducentes Danielem sic cantabunt:

Omnis absit hodie mestitia,

Conductus Danielis uenientis ad regem:

Hic uerus dei famulus

nunc est enim congrua letitia.
Danieli referatur gratia,
cuius sapientia
futurorum prescia
scit que sunt latentia,
Cui certa sunt et cognita
cum futuris preterita
per quem erit exposita,
uisio regis subita.

Illi per quem exponetur littera,
infinita rex promisit munera,
principatum, purpura et cetera.

[fol. 14r] Sed in Babylonia
nulla sunt ingenia
que sciant hec dubia.
Regis ergo palatio
hunc presentabit contio,
per quem iam sine dubio
regis soluetur uisio.

Quem laudat omnis populus
Cujus fama prudentiae
Est nota regis curiae
Cestui manda li rois par nos

Daniel:

Pauper et exulans
envois al roi par vos

Principes:

In iuventutis gloria
Plenus caelesti gratia
Satis excellit omnibus
Virtute vita moribus
Cestui manda li rois par nos

Daniel:

Pauper et exulans,
envois al roi par vos

Principes:

Hic est cujus auxilio
Solvetur illa visio
In qua scribente dextera
Mota sunt regis viscera
Cestui manda li rois par nos

Daniel:

Pauper et exulans
envois al roi par vos

Il chiede a Daniele di spiegare l'accaduto.

Veniens Daniel ante regem dicat ei:

Rex in aeternum vive

Postea dicet rex Danieli:

Si sunt uera quae nos audiuius,
certus erit uisus quem uidimus.
nam est in te deorum spiritus,
quia noscitis cuncta diuinitus.
Ne cuncteris ergo persoluere,
quis sit sensus istius littere.
quem si michi uelis exponere,
diues multo iam fiet munere.

Et rex Danieli:

Tu ne Daniel nomine diceris
Huc adductus cum Iudaeae miseris
Dicunt te habere Dei spiritum
Et praescire quodlibet absconditum
Si ergo potes scripturam solvere
Immensis muneribus ditabere

Daniele spiega.

Daniel ad regem:

Tolle, princeps, munera non curanda,
Namque gratis proferam hec miranda.
Tuis habes usibus uasa dei,
Sed te causa destruet huius rei:
Hoc testatur littera, de qua queris,
quia 'mane' crastino rex non eris.
'Techel' signat regimen ponderatum,
Inuenitur itaque minoratum.
'Phares' <regnum> indicat iam diuisum.
Constat hoc a domino sic prouisum.

Et Daniel regi:

Rex tua nolo munera
Gratis solvetur littera
Est autem haec solutio
Instat tibi confusio
Pater tuus prae omnibus
Potens olim potentibus
Turgens nimis superbia
Dejectus est a gloria
Nam cum Deo non ambulans
Sed sese Deum simulans
Vasa templo diripuit
Quae suo usu habuit
Sed post multas insanias
Tandem perdens diuitias
Forma nudatus hominis
Pastum gustavit graminis
Tu quoque ejus filius
Non ipso minus impius
Dum patris actus sequeris
Vasis eisdem uteris
Quod quia Deo displicet
Instat tempus quo vindicet
Nam scripturae indicium
Miniatur jam supplicium

Et MANE dicit Dominus
Est tui regni terminus
THECHEL libram significat
Quae te minorem indicat
PHARES hoc est divisio
Regnum transportat alio

Il re innalza Daniele di grado...

Tunc rex induens eum pulcherrimis indumentis et secum residere faciens dicit:

Qui sic nobis hanc exponit litteram,
purpuram accipiet, ut dixeram,
sedeatque principis ad dexteram,
Mecum regnet etiam
ob suam peritiam
partem regni tertiam.

Et rex:

Qui sic solvit latentia
Ornetur veste regia

... e ordina che siano allontanati i segni di sventura.

Et conuersus ad milites dicit:

Propter uaticinium uatis huius ueri
nostro decet a conspectu uasa remoueri.
In contemptum non habebō uasa uelud ante.
nolo quod sint michi <uasa> causa cladis tante.

Sedente Daniele juxta regem, induto ornamento regalibus exclamabit rex ad principem militiae:

Tolle uasa, princeps militiae
Ne sint michi causa miseriae

Lode alla regina che ha fatto il nome di Daniele mentre si tolgono i vasi.

Milites uero uasa reportantes et reginam reducentes cantabunt ante eam:

IORDANUS Gaude, coniux regia,
Babilonis gloria,
que precellis omnia
regi necessaria domina,
Cuius sapientia
regi dat consilia
et dando solacia
uincis muliebria agmina.
In cuius consilio
tota pendet regio
et pre sensu nimio
te laudat cum gaudio contio.
[fol. 14v] Triplex est | laudatio:
forma pudor ratio,
quae uix adsunt alio.
digna es consortio regio.

Tunc relicto palatio, referent uasa satrapae et regina discedet. Conductus reginae:

Soluitur in libro Salomonis
Digna laus et congrua matronis
Pretium est ejus si quam fortis
Procul et de finibus remotis
Fidens est in ea cor mariti
Spoliis diuitibus potiti
Mulier haec illi comparetur
Cujus rex subsidium meretur
Ejus nam facundia uerborum
Arguit prudentiam doctorum
Nos quibus occasio ludendi
Hac die conceditur solemniter
Demus huic praeconia devoti
Veniant et concinent remoti

Conductus referentium uasa ante Danielem:

Regis uasa referentes
Quem Judaeae tremunt gentes
Danieli applaudentes
Gaudeamus
Laudes sibi debitas referamus
Regis cladem praenotavit
Cum scripturam reseravit
Testes reos comprobabit
Et Susannam liberavit
Gaudeamus...
Babylon hunc exulavit
Cum Judaeos captiuit
Balthasar quem honoravit
Gaudeamus...
Est propheta sanctus Dei
Hunc honorant et Caldae
Et gentiles et Judae
Ergo jubilantes ei
Gaudeamus...

Ingresso di Dario e festa della sua corte.

Postea Darius rex Persarum et Medorum adueniens cum exercitu suo et quasi interficiens Baltasar et auferens ei coronam imponet capiti suo.

Qui cum sederit in trono suo, cantabitur hec laus coram eo:

HILARIUS Ad honorem tui, Dari,
quia decet <nos> letari,
omnes ergo mente pari gaudeamus,
Laudes tibi debitas referamus.
Cuius iugum timent
Perse nec non gentes uniuerse,
quia summi minimique
sibi subsunt et ubique, gaudeamus,
L<audes> t<ibi> d<ebitas> r<eferamus>.
Cuius iram satis sensit
quisquis sibi non consensit
cum rex ergo tam potens sit, gaud<eamus>,
L<audes> sibi debitas referamus>.
Cuius regno sunt acclines
tam remoti quam affines
ergo regi assistentes
regis gesta recolentes gaudeamus,
L<audes> sibi debitas referamus>.

Statim apparebit Darius rex cum principibus suis, venientque ante eum cytharistae, et principes sui psallentes haec:

Ecce rex Darius
Venit cum principibus
Nobilis nobilibus
Ejus et curia
Resonat laetitia
Adsunt et tripudia
Hic est mirandus
Cunctus venerandus
Illi imperia
Sunt tributaria
Regem honorant
Omnes et adorant
Illum Babylonia
Metuit et patria
Cum armato agmine
Ruens et cum turbine
Sternit cohortes
Confregit et fortes
Illum honestas
Colit et nobilitas
Hic est Babylonius
Nobilis rex Darius
Illi eum tripudio
Gaudeat haec contio
Laudet et cum gaudio
Ejus facta fortia
Tam admirabilia
Simul omnes gratulemur
Resonent et tympana
Cytharistae tangant cordas
Musicorum organa
Resonent ad ejus praeconia

Antequam perveniat rex ad solium suum duo praecurrentes expellent Baltasar quasi interficientes eum tunc sedente Dario rege in majestate sua curia exclamabit:

Rex in aeternum vive

Dario ammira la saggezza di Daniele e chiede di cercarlo.

Postea quidam intimantes ei de sapientia Danielis dicent:

Potentior rex omni principe,
Danielem inquiri precipe doctissimum,
Quem peritum fore didicimus
et Baltasar fuisse nouimus carissimum.

Tunc duo flexis genibus secreto dicent regi ut faciat accersiri Danielem et rex jubeat eum adduci illi autem aliis praecipientes dicent haec:

Audite principes regalis curiae
Qui leges regalis totius patriae
Est quidam sapiens in Babylonia
Secreta reserans, deorum gratia
Ejus consilium regi complacuit
Nam prius Baltasar scriptum aperuit
Ite velociter ne sit dilatio
Nos uti volumus ejus consilio
Fiat si venerit consiliarius
Regis et fuerit in regno tertius

I messi chiedono a Daniele di venire alla corte di Dario.

Milites ad populum dicent:

IORDANVS Audiant principes qui sunt in curia,
quod iussit fieri potestas regia,
nec debent respui regis Imperia:
Est uir incognitus in Babilonia,
qui cunctis preminens mira scientia
predixit Baltasar regni discidia
nos ergo petimus eius suffragia,
queratur ut intret nostra palatia,
vt sit domesticus regi per omnia.

Legati invento Daniele dicent haec ex parte regis:

Ex regali venit imperio
Serve Dei nostra legatio
Tua regi laudatur probitas
Te commendat mira calliditas
Per te solum cum nobis patuit
Signum dextrae quod omnes latuit
Te rex vocat ad suam curiam
Ut agnoscat tuam prudentiam
Eris supra ut dicit Darius
Principalis consiliarius

Ergo veni jam omnis curia
Praeparatur ad tua gaudia

Et Daniel:

G'envois al roi

I messi conducono Daniele da Dario.

Tunc qui Daniele adducent sic cantabunt:

HILARIVS Referatur hodie Danieli gratia,
Cuius sapientie cuncta sunt patentia·
Adest illi spiritus, quo prenoscit omnia
Et futura penitus, tamquam sint presentia
<...>
Regnet ut securius rex eius scientia·
[fol. 15r] Ipsum ergo ducimus ad regis | palatia,
8 Per quem nobis credimus conferri solacia.

Conductus Danielis:

Congaudentes celebremus
Natalis solemnia
Jam de morte nos redemit
Dei sapientia
Homo natus est in carne
Qui creavit omnia
Nasciturum quem praedixit
Prophetae facundia
Danielis jam cessavit
Unctionis copia
Cessat regni Judaeorum
Contumax potentia
In hoc natalitio
Daniel cum gaudio
Te laudat haec contio
Tu Susannam liberasti
De mortali crimine
Cum te Deus inspiravit
Suo sancto flamine
Testes falsos comprobasti
Reos accusamine
Bel draconem peremisti
Coram plebis agmine
Et te Deus observavit
Leonum voragine
Ergo sit laus Dei verbo
Genito de virgine

Dario eleva Daniele di dignità.

Cum Daniel regi astabit, dicet ad eum rex:

Tua sapientia
que nouit latentia,
in mea presentia est hodie laudata·
Si michi consilia
conferras utilia,
sub tua potentia regna dabo regenda.

Et Daniel ad eum:

Tua, princeps, dona non sitio·
sed si meo tibi seruitio
opus erit, ecce prenuntio
gratis fiet et sine pretio.

Et Daniel regi:

Rex in aeternum vive

Cui rex:

Quia novi te callidum
Totius regni providum
Te Daniel constituo
Et summum locum tribuo

Et Daniel regi:

Rex michi si credideris
Per me nil mali feceris

Gli invidiosi ricordano a Dario che deve essere onorato come dio.

*Tunc rex faciet eum secum assedere. Videntes inuidi eum esse in
amicitia regis et uolentes eum inimicare regi nec inuenientes causam
nisi in lege dei sui, uenientes ad regem dicent:*

SIMON Precipe decreta, rex, seruari,
que dedere principes preclari:
In decretis principum habetur,
preter te ne deus adoretur·
Tu solus es deus super deos,
qui regis gentiles et Caldeos·
Conuenit, ut solus adoreris,
populos et regna dum tueris·
Siquis querat preter te patronum,
subiacebit unguibus leonum.

*Tunc rex tacet eum sedere juxta se et alii consilarii Danieli invidentes, quia
gratior erit regi, aliis in consilium ductis ut Daniele interficiant dicent regi:*

Rex in aeternum vive

Item:

Decreverunt in tua curia
Principandi quibus est gloria
Ut ad tui rigorem nominis
Omni spreto vigore numinis
Per triginta dierum spatium
Adoreris ut Deus omnium
O rex
Si quis ausu tam temerario
Renuerit tuo consilio
Ut praeter te colatur deitas
Judicii sit talis firmitas
In leonum tradatur foveam

Sic dicatur per totam regiam
O rex

Et rex dicet:

Mea sunt imperia
rata fient omnia,
que decreuit curia.

Et rex dicat:

Ego mando et remando
Ne sit spretum hoc decretum
O hez!

Daniele si ritira in preghiera e gli invidiosi ricordano al re il suo ordine...

Tunc Daniel occulte discedens orabit deum suum. Quo uiso inuidi ad regem dicent:

O rex, cui sunt subdita regna Babilonia,
Iussa fiunt irrita, que decreuit curia
Nam decreuit dierum per triginta spatia
Adorari numina te quasi celestia,
Atque siquis sperneret precepta regalia,
Sentiret ex merito leonum consortia.

Daniel hoc audiens ibit in domum suam et adorabit Deum suum, quem aemuli videntes accurrent et dicent regi:

Numquid Dari observari
Statuisti omnibus
Qui orare vel rogare
Quicquam a numinibus
Ni te Deum illum reum
Daremus leonibus
Hoc edictum sic indictum
Fuit a principibus

Et rex subiunget:

Vere iussi me timeri quasi deum
et a cunctis exaltari numen meum.

Rex nesciens quare hoc dicerent respondet:

Vere iussi me omnibus
Adorari a gentibus

...che Daniele non osserva pregando Dio.

Iterum illi inuidi:

Danielem nos uidimus
pronum suis numinibus
esca detur leonibus, quia spreuit,
quod Babilonis Darius rex decreuit.

Tunc illi adducentes Danielelem dicent regi:

Hunc Judaeum suum Deum
Danielem vidimus
Adorantem et precantem
Tuis spretis legibus

Dario difende Daniele (come Ponzio Pilato...), ma invano.

Rex ad illos:

Si legem pati quam dederam noluit,
Iras leonum sentiat, ut meruit.

[fol. 15v]

Rex volens liberare Danielelem dicet:

Numquam vobis concedatur
Quod vir sanctus sic perdatur

Illi ducent Danielelem ad lacum. Tunc rex iratus ueniens obuiam ei ad consolandum dicet:

HILARIVS Ne desperet seruus dei,
quod hgc pena datur ei
Sed in suo fidat deo,
quia parcet sibi leo.

Satrapae hoc audientes ostendent ei legem dicentes:

Lex Parthorum et Medorum
Jubet in annalibus
Ut qui spreuit quae decrevit
Rex detur leonibus

Rex hoc audiens velit nolit dicet:

Si spreuit legem quam statueram
Det poenas ipse quas decreveram

Tunc satrapae rapiunt Danielelem et ille respiciens regem dicet:

Heu heu heu quo casu sortis
Venit haec damnatio mortis
Heu heu heu scelus infandum
Cur me dabit ad lacerandum
Haec fera turba feris
Sic me rex perdere quaeris
Heu qua morte mori
me cogis Parce furori

Et rex non valens eum liberare dicet ei:

Deus quem colis tam fideliter
Te liberabit mirabiliter

Daniele, gettato nella fossa dei leoni, prega.

Et Daniel intrans lacum sic orabit:

Deus terre, deus poli,
me commendo tibi soli
defensorem michi trade,
qui me seruet ab hac clade.

Tunc projicient Danielelem in lacum statimque angelus tenens gladium comminabitur leonibus ne tangant eum et Daniel intrans lacum dicet:

Hujus rei non sum reus
Miserere mei Deus
Eleyson
Mitte Deus huc patronum
Qui refrenet vim leonum
Eleyson

Un angelo sollecita Abacuc a salvare Daniele.

Tunc apparebit angelus domini in lacu habens gladium, qui concludat ora leonum. Postea alius angelus ueniet ad Abacub deferentem prandium messoribus suis, ad quem sic dicet angelus:

SIMON Abacub, celi fero nuntium:
Danieli quod habens prandium
Vade, defer in Babilonia,
cui leonum parcat seuitia.

Respondens Abacub dicet:

Nouit deus, quod lacum nescio
neque locum, de quo fit mentio.

Interea alius angelus admonebit Abacuc prophetam ut deferat prandium quod portabat messoribus suis Danieli in lacum leonum dicens:

Abacuc tu senex pie
Ad lacum Babyloniae
Danieli fer prandium
Mandat tibi rex omnium

Cui Abacuc:

Novit Dei cognitio
Quod Babylonem nescio
Neque lacus est cognitus
Quo Daniel est positus

L'angelo trasporta Abacuc da Daniele.

Angelus uero ducet eum ad lacum capillo. Qui astans Danieli dicet:

O uir bone, quem deus diligit,
Quem nec ira leonum tetigit,
Nunc in terris te deus eligit,
Ergo sume, quod tibi dirigit, care frater.

Tunc angelus apprehendens eum capillo capitis sui ducet ad lacum et Abacuc Danieli offerens prandium dicet:

Surge frater ut cibum capias
Tuas Deus vidit angustias
Deus misit da Deo gratias
Qui te fecit

Daniele ringrazia Dio.

Tunc Daniel gratias persoluens deo dicet:

HILARIVS Nunc patuit,
quod uoluit me dominus seruare,
Qui prandium
per nuntium dignatus est donare.
Quinetiam
seuitiam compescuit leonum·
Nam tribuit,
ut decuit, angelicum patronum.

Et Daniel cibum accipiens dicet:

Recordatus es mei Domine
Accipiam in tuo nomine. Alleluia

Riportato Abacuc dall' Angelo, Dario vede che Dio ha aiutato Daniele.

Darius iratus uisitabit Danielelem dicens:

Num quid putas, o uir bone,
quod te posset a leone
deus tuus [adorare o] liberare,
quem non cessas adorare?

Hic transactis, angelus reducat Abacuc in locum suum, tunc rex descendens de solio suo ueniet ad lacum, dicens lacrimabiliter:

Te ne putas Daniel
Saluabit ut eripiaris
A nece proposita
Quem tu colis et veneraris

Et Daniel ad eum:

Misit meus
michi deus defensorem bonum,
per quem uere
cessauere fremitus leonum.

Et Daniel regi:

Rex in aeternum uive

Item:

Angelicum solita misit pietate patronum
Quo Deus ad tempus conpescuit
Ora leonum

Dario libera Daniele e punisce gli invidiosi.

Rex subiunget:

[fol. 16r] Ergo quia nil peccauit, iustus | extrahatur·
Sed qui iustum accusauit, intus detrudatur.

Tunc rex gaudens exclamabit:

Daniel educate
Te aemulos immittite

Disperazione degli invidiosi.

Tunc inuidi mittentur in lacum, ut deuorentur a leonibus. Postea rex accipiens Danielelem per manum ducet eum ad tronum suum et sibi faciet assedere' deinde dicet ad milites suos:

Edicatur,
ut colatur Danielis dominus·
quod decretum
si sit spretum, uindicetur protinus.

Cum expoliati fuerint et venerint ante lacum, clamabunt:

Merito haec patimur
Quia peccavimus in sanctum Dei
Injuste egimus
Iniquitatem fecimus

Et illi ad populum:

Audiatis,
ne spernatis, quia a rege iussa sunt:
Iubet coli

Ille projecti in lacum statim consumentur a leonibus et rex uidens hoc dicet:

Deum Danielis
Qui regnat in saeculis
Adorari jubeo

regem poli, per quem cuncta facta sunt.

Quem rex uolet,
si non colet quisquam temerarius,
Sciat dire
se perire, sicut iussit Darius.

A cunctis populis

Parole di Daniele.

Tunc Daniel prophetabit hoc modo:

IORDANVS Exsultet hodie fidelis contio:
Iudee regibus instat confusio:
nascetur dominus, cuius imperio
Cessabit regimen et regum unctio.
Quem qui crediderit cum rege Dario,
remunerabitur perenni gaudio.

Et tunc apparebit angelus alta uoce canens:

Nuntium uobis fero <de supernis:
natus est Christus, dominator orbis,
in Bethlem Iude, sic enim propheta
dixerat ante.>

Quo finito, si factum fuerit ad matutinas, Darius incipiat: 'Te deum laudamus', si uero ad uesperas: 'Magnificat anima mea dominum'.

Daniel in pristinum gradum receptus prophetabit:

Ecce venit sanctus ille
Sanctorum sanctissimus
Quem rex iste iubet coli
Potens et fortissimus
Cessant phana cesset regnum
Cessabit et unctio
Instat regni Iudaeorum
Finis et oppressio

Tunc angelus ex improviso exclamabit:

Nuntium vobis fero de supernis
Natus est Christus dominator orbis
In Bethleem Iudae
Sic enim propheta dixerat ante.

His auditis cantors incipient 'Te deum laudamus'. Finit Daniel